

et incertum iter aggrediuntur, qui connubio se committunt; jure igitur merito non fictio Herculi, sed præpotenti Deo sacrificium prius offerunt, ut eum sibi concilient, et contra occurrentes tentationes invocent ac propitium reddant. Testimonium antiquæ huic cæremonie reddit antiquissimus actor Tertullianus, lib. II. ad uxorem, ubi ait: *Matrimonium Ecclesia conciliat* (hoc est copulat) *et oblatio* (missæ videlicet) *confirmat*. Viderunt sibi hunc comitem esse necessarium, qui in Cana Galilææ invitarunt Christum ad nuptias suas; sine quo alioquin deficiente vino bibere aquam coacti fuissent; aquam inquam tribulationis, desolationis, zelotypiæ, contentionis, impatientiæ, etc. At vero: « Si adsit Christus ad nuptias, (inquit D. Chrys. ho. XII. in ep. ad Colos.) si velis, nunc quoque faciet miracula, sicut et tunc. Faciet nunc quoque aquam vinum, et multo admirabilius. Diffluentem et dissolutam convertet lætitiâ et cupiditatem et transferet ad spiritualem. Hoc est, ex aqua vinum facere. Ubi sunt tibicines, nequaquam est Christus. Sed et si fuerit ingressus, eos primum ejicit, et tunc facit miracula. Quid satanica pompa est injucundius? » Hæc Chrys. Ita nimirum pervertit Satan homines, ut quæ ipsis a Deo tributa sunt contra venenum antidota, convertant in venena. Mane invitant conjuges Christum ad nuptias in missæ sacrificio, vespere expellunt, et admittunt diabolum in satanicis choreis, aliisque impudiciis. Deum invitavit ad nuptias Tobias, cum a triduanis precibus et abstinentia orditus est conjugium. Diabolus vocavit septem illi viri, qui Tobie sponsam prius acceperant sicut equus et mulus, ut libidini suæ vacarent, Tob. III. et VI.

V. Benedictionem sacerdotalem impertit primis nuptiis, ex antiquissima consuetudine, ut constat ex epist. I. Evaristi Pp. et martyris ad episcopos Africanos, c. XXX. q. V. c. Aliter; item c. q. V. c. Nullus, c. Nestratus, c. Sponsus. Ejusdem meminit Hormisdas et Nicolaus primus summi pontifices, necnon Concilium Carthaginense, cujus est hoc decretum: « Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranymphis offerantur. Qui cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permanent. » Ea vero benedictio representat in primis benedictionem illam, quam dedit Deus primis parentibus, Gen. I. dicens: *Crescite et multiplicamini et replete terram, etc.* Et quia primæ illæ nuptiæ representant mirabiles illas Christi cum Ecclesia, et rursus Filii Dei cum humana natura; ideoque in nova lege sacramentum et

quidem magnum sunt, apost. teste ad Eph. V a Christo ad hanc dignitatem exaltato, ac proinde debenedictiones sacerdotali coonestandæ. Quam ob causam secundas nuptias benedici vetat Ecclesia, quia a significatione illarum, in quibus fit conjunctio unius cum una dumtaxat nexu indissolubili, deficiunt. Deinde postulat a Deo conjugibus uberem gratiam, fecunditatem, concordiam, pacem, omnemque prosperitatem in animo et corpore; veluti ut habeant sufficientem corporis sustentationem, constantem sanitatem, vitam longævam, proles speciosas et morigeras, beatum ex hac vita transitum, etc. Quem admodum de Anna illa uxore Elcanæ legimus, I. Reg. I. postquam ei sacerdos Heli dixit: *Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum, impetravit filium, et quidem sanctum, cum prius fuisset sterilis*. Propterea olim christiani conjuges tanti æstimarunt sacerdotum benedictionem etiam privatam, ut ab obviis passim expeterent. Eudoxia imperatrix cum a duobus episcopis, ante partum inviseretur, his verbis prævenit eorum salutationem: *Benedicite patres, etc. Propter Dominum orate pro me, ut quod est in utero, in lucem edam cum Dei benignitate*, ut scribit Marcus Gazensis, in vita S. Porphyrii. Justiniano imp. cum benedixisset S. Sabas, rogatus est ab eo, ut Theodora quoque conjugi benedictionem impertiret, qua ex ea sibi filium impetraret, dedit quidem, sed non nisi ut sospes et salva esset ejus potentia, nequaquam vero ut filium obtineret: *Deus enim, aiebat, non sinet aliquem fructum ex ea edi, ne ipse quoque gustet Severi dogmata, et deteriores quam prius sub Anastasio tumultus conturbent Dei Ecclesiam*. Erat enim Theodora sectæ Acephalorum addictissima. Refert Cyrillus, in vita S. Sabæ apud Sur. 5. dec.

VI. Propinat illis vinum amoris, quod appellamus benedictione ibidem sacramentum. Facit hoc ad conciliandum mutuum inter eos amorem, ut alter pro altero, si res ita ferat, mori paratus sit: quemadmodum S. Joannes amore Aristodemi, idolorum pontificis et aliorum idololatrarum, ut eos Christo lucrifaceret, mortis præsentis periculo se exposuit, dum propinatum sibi venenatum calicem exhausit unde tamen læsus non est. Quod si Joannes vitam suam propter impios homines discrimini huic commisit, cur non idem præstet conjux conjugi, cum sint una caro? Certe si quis in caput tuum vibret ictum, tu brachium objicies, similiter si latus tuum pungere aut ferire velit. Meminerit ergo vir e latere suo formatam sibi esse uxorem: uxor sciat virum esse suum caput. Cur non igitur pro al-

tero alter se objiciat ad quævis pericula? Quare hic calix quasi philtum amoris spirituale eis porrigitur. Quod ut efficacius sit, amet alter alterum. Hoc philtum proponit S. Chrysost. homil. XIII. ad pop. « Vis beneficia capere? inquit. Confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? Miserere proximi. Vis laudari? Lauda alium. Vis amari? Ama. Vis partibus primis potiri? Cede illas prius alteri. Tu sis iudex, tu sis vitæ tuæ legislator. » Quæ quidem in genere dicta ad omnes mortales pertinet; tanto tamen plus valere inter conjuges deberet, quanto major inter ipsos est conjunctio corporum et animorum, quam inter alios homines.

Hæc igitur indumenta, hæc armamenta sunt, quibus munit et obarmat vos, novos conjuges, Ecclesia mater vestra. Nolite ea spernere, nolite parvi facere; neque in hoc imitemini pastorem illum Davidem, qui lapidibus solum et baculo instructus potenti se objecit hosti. Non est omnium hæc virtus; nec unus dumtaxat hostis est, qui in connubio vos expectat. Curarum integrum agmen, integer exercitus est, cum quo vobis confligendum. Quare induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, ad Eph. VI.

CONCIO XXVIII.

RITUS NUPTIARUM GENTILES EXPONUNTUR.

Quando filii Israel migraturi erant ex Ægypto in promissam sibi terram, adeoque in peregrinam regionem, præcepit eis Deus, ut in vicinis suis Ægyptiis utenda sibi peterent vasa aurea et argentea, necnon vestimenta varia; hisque instructi utensilibus Ægyptum spoliarent, ac sese domosque suas hac suppellectile locupletarent, uti legimus Exod. XI. et XII. Hæc enim spolia ipsis Deus donavit. Idem vel quid simile vobis, novi conjuges, agendum ego suadeo. Quia enim in peregrinam terram, in statum inquam conjugalem, necdum vobis cognitum, transituri estis, ubi in peregrina domo multa vobis suppellex necessaria erit, eam vobis ut paratis, commodandam postulate a gentilibus, quinimo etiam rapite et capite quocumque modo potestis. Ea vero suppellectilia aliud non sunt, quam ritus nuptiales, seu externa symbola, desumpta e naturæ lumine adeoque rationi congrua, quibus illi novos conjuges ad rem gerendam instruebant, non quidem absque superstitione aliqua, quam nos præcedimus; cætera velut salutaria, adeoque aurea et argentea documenta in nostrum usum transferemus, sicque abjecto cortice nucleum comedemus. Sunt autem ista.

I. Cælibari hasta, quæ in corpore gladiatoris abjecti, occisique stetisset, nubentis femine caput comebatur, ut tradit Sextus Pompeius. Causam dat Plutarchus, in quæst. Rom. q. LXXXV. *Cur nuptiarum comam*, inquit, *discriminant hastæ cuspidem? Monentur nuptæ, quia bellicosos jungantur maritis, debere ipsas ornatu uti simplici et a luxu ac molitie alieno*. Deinde admonentur conjuges non nisi hasta alterutri infixâ hoc est morte conjugium dirimendum esse; itaque etiam nuptiarum die meminisse eos mortis voluerunt, ut ea recordatione quasi aqua vinum nuptialium gaudiorum et voluptatum temperarent.

II. Corona redimiri sponsa a sponso et vicissim sponsus et sponsa solebant, teste Tertulliano, qui ait: *Coronant nuptiæ sponso*, in li. de corona militis, et Catullo, in carmine de nuptiis Juliae et Manlii: *Cinge tempora*, inquit, *floribus suave olentis amarici*. Ecce vero, nisi ut mutuum sibi honorem deferendum semper intelligerent? Vir enim caput et gubernator, uxor vero adiutorium est uxoris et sustentaculum ejus. Unde D. Ambrosius, lib. V. hexam. cap. II. ait: « Adam per Evam deceptus est, non Eva per Adam. Quem vocavit ad culpam mulier, justum est, ut eum gubernatorem assumat, ne iterum feminea facilitate labatur. » Et paulo post: « Sed etiam tu vir depone tumorem cordis, asperitatem morum, cum tibi sedula uxor occurrit; propelle indignationem cum blanda conjux ad charitatem provocat. Non es dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed uxorem. Gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam. Persarum regum legitimæ uxores convivari cum eis et genialiter agere consueverunt, cenis autem lascivioribus non admittebantur, sed psaltriæ tantum et concubinae. Quem honorem reges illi conjugio deferebant. Nam ut princeps ille solitus erat dicere: *Uxor dignitatis nomen est, non voluptatis*, sic maritus conjunctionis, propinquitatis, unionis appellatio est, non libidinis. Refert Lud. Vives, de fem. christ.

III. Recta tunica induebatur sponsa, qualem prima Caia Cæcilia texuit, teste Plinio, l. VIII. c. XLVIII. Quid hæc nisi recta et pura intentio in contrahendo matrimonio? Recta vero est illa, quam habuit et exponit junior Tobias, c. VIII. Tob. *Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum*. Quinimo intellexit etiam Plato, cum scripsit, l. VI. de legib. idcirco ineunda matrimonia, ut relinquat quis liberos, qui Deo serviant pro se. Et paulo post: *Oportet parentes gignere et*

educare liberos, qui vitam tamquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes iuxta legem. Qui hac intentione carent, sed opes, voluptates aut amicitias quærent, non rectam, sed plicatam tunicam gerunt: et sicut vestium plicæ cito atteruntur et lacerantur, ita et distorta nuptiarum intentio gignit discordias et infelicem exitum, ut testatur Raphael Angelus, Tob. VI. Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et mente sua excludant, et suæ libidini vacent sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.

IV. Cingulo nupta cingebatur ex lana ovis confecto, ut cit. Sextus Pompeius scribit; qua vero causa? *Ut sicut illa in glomis sublata conjuncta inter se est; sic vir suus secum junctus cinctusque est,* inquit. Nec male dixerit quis factum id ad judicandum liberum contrahentium consensum, quem insinuat ovis, quæ libere sequitur pastorem, non igitur scutica ut alia pecora, boves, equi, porci, cum ad pascua pelluntur. Matrimonium dura quædam servitus est, quam mors sola solvit: homo autem natura sua liber est; non ergo impelli ad istam servitutum debet, nec fraude induci. Unde S. Thomas, XXII. q. CIV. art. V. ait: « Quia omnes homines natura sua pares sunt, puta in his quæ pertinent ad corporis sustentationem, et prolis generationem, non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire in matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda aut aliquo hujusmodi. » Ideo apostolus I. Cor. VII. ait: *Cui vult nubat, id est, inquit in eum test. D. Ambr. quem sibi aptum pulaverit, illi nubat, quia invitæ nuptiæ solent malos proventus habere.*

V. Velo sponsa obnubi solebat, cum ad sponsum deduceretur, teste Tertulliano, I. de veland. virgin. *Atqui etiam velatæ, inquit, ad virum ducuntur.* Velum id dicebatur flammeum, eratque præcipuum sponsarum insigne, unde et nuptæ et nubere dicebantur, a nubibus, quæ cæli amenitatem nobis abscondunt et obnubant. Qui mos cernitur adhuc in Italia, ut sponsæ usque ad nuptias non nisi velato vultu in publico incedant. Et cur hoc, nisi ut demonstret sponsa se jam uni desponsatam, alteri nemini placere velle? Vult dicere, se jam vendidisse merces suas, ideoque clausisse officinam. Vult dicere id sponsæ Cant. II. *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Ubi S. Bernardus, ser. LXXVIII. *Ille mihi et non alteri, quoniam uno sum columba ejus, ego illi et non alteri.* Hinc Cant. V. quæritur vi ablatum sibi esse pallium, seu velum ac flammeum pro quo servando pugnari usque ad sanguinem. *Invenerunt me custodes, inquit, qui circumveunt civitatem, per-*

cusserunt me et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum, præclaro matronis omnibus exemplo, ut pro velo pudicitiae tuendo totis viribus pugnent.

VI. Cum in domum sponsi sponsa duceretur, præferebatur ei colus et fusus, teste Plut. in quæst. Rom. q. XXXI. quo nimirum intelligerent, se non ad otium et delicias duci, sed ad laborem sibi congruum, qualis est potissimum linum et lanam tractare, nere et filare. Eodem fine postes domus lana attingebat et coronabat, ingressaque domum non pelle lanata sedere jubebantur; ut diceret quid agendum sibi in domo esset. Rursum crebro acclamabatur ei: *Thalassio, thalassio, velut si dicas: Quasillum aut chalatus, in quo sana reponitur auct. Sexto Pompeio.* Hinc etiam laudatur fortis illa mulier, Prov. XXXI. *Quæsitit lanam et linum: et mox: Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum.* Quin etiam imperatores aliqui voluerunt filias suas eodem lanificio edoceri et occupari, ut Cæsar Augustus et Carolus M. Alexander quoque M. Persicis reginis monstravit vestes a matre et sororibus sibi confectas. Denique apud Hispanos veteres præmium fuisse certamini publice propositum, dandum illi, quæ plurimum nevisset aut texuisset. Refert Lud. Vives: idque statis temporibus judicatur propositis in publicum operibus, erat is honor permagnus.

VII. Facibus accensis sub noctem ingruentem ducebatur sponsa in domum sponsi: ita tamen ut facies illæ numero impari essent, et fere quinario, ut habet Plutarchus, in quæst. Rom. q. II. Quid antiqui illi sibi voluerint cum his facibus, varie sentiunt auctores. Nobis indicant nocturna seu clandestina matrimonia non approbanda, sicut et ea abrogavit Concilium Tridentinum, quia inde oriebantur multa incommoda, quibus legitimæ conjuges repudiabantur et aliæ inducebantur: nec deprehendi sæpe poterat, qui legitimi essent filii, qui adulterini.

Numerus facum impar adeoque indivisibilis significabat matrimonium quoad vinculum esse perpetuum et indissolubile. Si videre mihi poterunt qui numerum quinarium in duas æquales partes dividunt, permittam etiam ut conjugium possit dissolvi, nisi residuus numerus impar teneatur, quod fit per mortem alterius conjugis.

VIII. Puer, quem *Camillum* vocabant, gerebat in vase operto, quod *cumerum* dicebatur, utensilia quædam sponsæ, quæ nemini patebant, uti scribit Varo, in I. VI. linguae Lat. Sextus Pompeius et alii. Quid hoc sibi veluerit, non explicant. Mihi videtur id bene explicare D. Chrys. hom. XXVIII. in ep. ad Hebr. « Omnis gloria filiarum

regis intrinsecus, inquit, iis induere. Nam et innumerabilibus aliis malis te liberaveris, et maritum a sollicitudine, et te a cura. Sic enim eris marito reverenda, quando paucis egueris. Solet enim homo quilibet dissimulare, et eos despiciatui habere, qui ipso indigent. Quando autem viderit non opus habere, fastum deprimit et insolentiam. Quo fit ut pari tecum honore disserat. Quando viderit maritus et in nullo ejus egere, et ejus dona despiciere, etiamsi sint egentes ejus spiritus et magna animi elatio, tunc te magis reverebitur, quam indutam aureis ornamentis. Nec eris amplius ejus ancilla. Nam quorum egeamus, necesse habemus nos eis submittere. Sin autem nos abduxerimus, non erimus amplius obnoxii; sed scit, quod propter Dei timorem aliquam ei tribuimus obedientiam, non propter ea, quæ ab ipso proficiscuntur.

IX. Postes januæ, qua introducenda erat sponsa oleo vel adipe inungebantur: unde uxores quasi unxores dictas putabant. Ita Servius, in IV. Æneid. Quid hæc unctio, nisi amor est? Unde cardines oleo, et sine stridore movebuntur, absque difficultate. Ita ubi amor est, ibi omnia suaviter et sine stridore movebuntur, absque difficultate. Ita ubi amor est, ibi omnia suaviter et sine murmure fiunt. Hinc jubet apostolus ad Tit. c. II. adolescentulas doceri, *ut ament viros.* Ubi S. Chrysost. hom. IV. scribit: « Præcipuum illud est domesticæ pacis ac honorum omnium fundamentum, si uxor viro per omnia consentiens sit. Nam ubi hoc fit, nihil triste contingere poterit. Quo pacto enim cum caput corpori connexum, conjunctumque sit, ut ulla ibi seditio, ulla dissensio possit exoriri? Necessario profecto reliqua omnia in pace sunt. Principibus namque pacatis, qui jam pacem dividere possit atque discindere? » Et mox: « Ea quippe dilectionis est vis, ubicumque illius fragrantia odor aspirat, ut nihil omnino triste, nihil ingratum irrumperere poterit. »

X. Peracta unctione nova nupta limen transiēbat, eoque modo in ædes inducebatur; religioni enim ducebant, sed superstitione, ne ingrediendo limen tangeret. Unde Plutarchus, in quæst. Rom. q. XXIX. sublata transportari consuevisse scribit. Ecce vero? Ut intelligeret sibi e domo non esse exeundum, ad alium scilicet virum, nec facile domum deserendam. Lepores et ursi saltu intrant sua cubilia, ne a venatoribus deprehendantur. Sic forsitan illa sponsa intrare in domum suam voluit, ut ne alteri amatori ad eam accessus esset. Laudandum etiam si intravit, ut non nisi vi ejiciatur, sicut introducta fuit, quod Plutarchus existimat, qui etiam

scribit: *Ægyptias mulieres calceis uti, patrius mos non fuit, ut domi continerentur,* apud Lud. Vives, I. de christiana femina. Sic igitur intret sponsa in domum sponsi, quasi ibi mansura nec alienum admittura, nec facile e sua in alienas domos evagatura, portas quoque sensuum aliis clausura.

XI. Ingressa domum nupta claves domus a viro accipiet, ut rerum omnium domesticarum, quæ clavibus concludi solent, curam ac custodiam, totam denique domum ac rei familiaris administrationem dispensationemque permitti sibi intelligeret. « Neque enim omnia, ait D. Chrys. in I. ad Cor. hom. XXXIV. viro permisit Deus, neque omnia mulieri. Mulieri quidem domum, viro autem forum tradidit: et viro dedit, ut aleret, nam agros colit, mulieri autem ut vestiret: tela enim et colus sunt mulieris. Ipse enim dedit mulieri textendi artem et industriam. Sed pereat avaritia, quæ non sinit hoc apparere discrimen. Nam multorum ignavia et mollietates etiam viros ad telas deduxit, et radios eis in manum tradidit, liciumque et stamen. » Neque etiam omne docendi genus Deus abstulit mulieribus, cum apostolus ad lit. II. jubet eas *docere quod bonum est.* Quo loco idem Chrys. hom. IV. ait: « Quæ ratione docendi ministerium eis hoc loco permittit, cum alibi dicat: Mulieri docere non permittit? Sed audi, quod sequitur: Neque præesse viro. Viris nempe docere permittitur et viros et mulieres. Cæterum mulieri domi tantum exhortationis permittit verbum, nunquam tamen præsidere concedit, nec prolixum omnino sermonem intendere. »

XII. Aqua et igne excipiebatur, teste Plut. q. I. ut sciret sibi cum viro vivendum, tametsi præter aquam et ignem nihil suppeteret: imo licet aqua et igne interdicerentur, adeoque in exilium pellerentur, quæ erat civium Romanorum capitalis. Mirum hujus fidelitatis præbuit exemplum Herodias illa, cæteroquin impia femina, cum enim Caius imp. Herodem Lugdunum Galliæ ad perpetuum exilium condemnasset, ejus Herodiadi, in Agrippæ fratris gratiam se parsurum promisit. At illa ad hæc: « Tu quidem imperator, ut tua majestate dignum est, loqueris; sed mihi conjugalis amor impedimento est, quominus fruar hac indulgentia, non enim æquum censeo, ut cui secundæ fortunæ fui socia, eum nunc in adversa deseram. » Sicque una cum Herode perrexit in exilium. Refert Josephus, lib. XVIII. antiquit. cap. IX. Cæterum ignem et aquam tangere sponsa debebat, ut scribit idem Plutarchus, q. V. additque rationem: *Quia, inquit, ignis lustrat, aqua purgat. Debet autem quæ nubet, puritatem ac castitatem conservare.*

XIII. Denique nuces jaciebantur et spargebantur, pueris eas diripientibus, juxta id Virgilio ecloga VIII. *Sparge marite nuces*: sive ut se puerilibus omnibus ludis renuntiare et juvenilia ludicra cuncta relinquere eo judicio testarentur maritus et uxor; sive quia nuces gemino essent operamento, ut significarent thorum maritalem quam optime opertum et absconditum esse debere; quemadmodum et lectulum suum Salomon sexaginta viris fortibus munivit, Cantic. III. *Eccur vero, nisi ut fiat, quod apostolus ad Hebr. XII. monet: Honorabile connubium in omnibus et thorus immaculatus: fornicatores autem et adulteros judicabit Deus?* Duplici igitur muro, et sexaginta fortibus cingant lectulum suum conjuges, ne in tremendum Dei judicium incidant.

Atque hæc sunt vasa aurea et argentea, hæc vestes complures, quas a gentilibus commodato accipiendas, imo rapiendas vobis suadeo, novi conjuges; ut his utensilibus, non quidem eo modo, quo utebantur cæci ethnici, et vos utamini, sed ut juxta eum sensum, quem explicui, domos vestras instruatis et locupletetis: non lapideas illas, sed spirituales, animas inquam vestras, ut his ditati cum lætitia pergere in cæpto vestro itinere ac demum in terram illam promissam cœlesti lacte et melle manantem feliciter pervenire valeatis.

CONCIO XXIX.

SPONSORUM EXEMPLAR S. JOSEPH.

Cum fame diurna premerentur Ægyptii in annis illis sterilibus, narratur, in I. Gen. cap. XXI. venisse eos ad Pharaonem regem et alimenta efflagitasse. Pharaon eos ad Josephum proregem suum misit dicens: *Ite ad Joseph, et quidquid ipse dixerit vobis, facite.* Aperuitque Joseph horrea regis et impertivit subditis commeatum. Non dubito, quin sponsus hic noster eo fine hic in facie Ecclesiæ adstet, ut, non quidem a rege Pharaone, sed a Rege cœlorum, Deo, spiritualem commeatum accipiat, pro instituenda, gubernanda et conservanda sua domo ac familia. Unde vero eum petet? Utique a Deo qui dat omnibus affluenter et non improperat. Verum quia Deus mediis suis creaturis ac servis prospicere homini de necessariis rebus solet, remittere mihi videtur sponsum nostrum ad procuratorem suum Joseph, qui cum fuerit nutritius filius ejus, et sponsus matris ejus, omni ex parte integerrimus et custos fidelissimus, utique ei annonam et commeatum dabit, modo is ob-

servet quæcumque ei Joseph dixerit. Ito igitur ad Joseph, bone sponse, et quidquid ipse dixerit tibi, facito; et habebis id quod postulas. Quid igitur ille dicit? Non invenio in evangelio toto vel unicum Josephi verbum, quod ore suo protulerit; adeo modestus et Pythagorico silentio totus addictus fuit; sed invenio quæ fecit. Itaque facta ejus verba nobis erunt et salutaria monita eo efficaciora, quo facta verbis sunt præstantiora.

I. Igitur dicit sponso et cuivis patrifamilias: *Esto justus, sicut et ego fui.* De Josepho enim ait S. Matthæus, c. I. *Joseph autem cum esset justus: hoc est, vir frugalis et bonus, omni virtute præditus, ut exponit S. Chrysost. Quis autem est justus? Respondet S. Joannes, ep. I. cap. III. Qui facit justitiam, justus est.* Quis autem facit justitiam, nisi qui servat Dei mandata: hinc enim de parentibus Joannis Baptistæ ait Luc. cap. I. *Erant autem ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela, q. d. ideo erant justi, quia servabant omnia Dei mandata?* Quæ propterea etiam justificationes appellat, quia si servantur, hominem justum efficiunt per Christi merita. Jam vero si christiani conjuges justi sint, adeoque si præcepta Dei observent, quid non bonorum sperare a Deo in conjugio suo possunt? Videmus sanctissimos illos conjuges Joseph et Mariam, quando tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Nonne *benedixit eis Simeon?* Id assertit S. Lucas. *Eccur vero, nisi quia vidit illos præceptorum Dei tam observantes? Steterunt enim infantem Deo, sicut scriptum est in lege Domini: obtulerunt pro eo hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini,* Luc. II. Illis enim promissa est benedictio Dei, qui legem Dei observant, ut habetur Deuter. XXVIII. *Venient super te universæ benedictiones istæ, et apprehendent te (quasi fugientem etiam insecuturæ sint) si tamen præcepta ejus audieris. Benedictus tu in civitate et benedictus tu in agro, etc.* Videant igitur conjuges, ut mandata Dei et Ecclesiæ præ omnibus aliis negotiis cordi sibi habeant, si benedictione Dei potiri volunt: *Nam corporalis exercitatio, inquit apostolus I. ad Timoth. IV. ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Hinc Theodosius imperator totam christiani hominis felicitatem in pietate ponebat; qui et moriens, ut ait Nicephorus, lib. XIII. c. I. nil tam impense commendavit filiis suis, quam ut veram pietatem conservarent, per quam pax et omnia bona florerent. Eo spectat, quod S. Ambrosius, I. V. ep. ad Valentinianum imp. scripsit: *Si vis diu-*

tius imperare, esto Deo subditus. Denique pietatis cultores etiam conjugatos, prospere in omnibus egisse ostendunt exempla plurima in Constantino M. Carolo M. Theodosio utroque, S. Henrico, Rudolpho I. imp. aliisque quos recenset Lipsius in monit. suis polit. c. II. mon. II.

II. Dicit: *Industria et labore tuo sustenta et conserva uxorem et liberos tuos, sicut et ego feci.* Quam industrius fuerit Josephus patet ex multis. In primis ex eo, quod semel iterumque jussus de nocte surgere et in exteras terras cum conjuge et filio ejus migrare, nihil moræ interposuit, nihil excusationis præterdidit, sed illico consurgens nocte statim itineri se commisit. Deinde ex eo, quod ipse labore manuum fabrili scilicet officio familiam suam aluerit; conjugem et filium ejus, tametsi is Josephi naturalis filius non esset. Pauperem fuisse Josephum non est dubium: siquidem in Bethlehem non habuit locum in diversorio. Dives si fuisset, locum dubio procul reperisset: *pauper ubique jacet.* Necesso igitur habuit, labore et opificio suo quærere panem familiæ, præsertim in Ægypto, ubi exul inter gentes Judeis infensos, commoratus est per annos septem, ex communiore sententia. Ergo S. Josephus sponsum istum admonet, ut et ipse labore et industria sua uxorem, et si quos a Deo acceperit liberos, sustentet et conservet; hoc enim ejus munus est, teste Salomone, qui Prov. XXIV. ait: *Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam.* *Ædificare domum in Scripturis sacris est domui suæ prospicere, ut conservetur, crescat et firma consistat.* Hoc ut fiat, viderit sponsus, viderit paterfamilias, procuret alimenta, egrediatur in agrum, seminet si vult metere, et inde ædificare, augere et stabilire domum suam. Sed quæstio est, cui foris jubeatur præparare opus suum. Quidni sicut ipse, qui hoc dixit, Salomon ita extruxit domum Dei, templum ut non audiretur malleus aut securis, aut omne ferramentum in domo? III. Reg. VI. Quia scilicet foris extra templum lapides et ligna præparabantur, ut sine strepitu in templo aptarentur. Ita agat paterfamilias foris, domui suæ de omnibus providebit, ut non habeat opus domui suæ litigare cum uxore, liberis et servis, ac dicere: *Quare hæc non fiunt? Quasi ista non sunt facta? Ipse enim foris agens, rebus omnibus necessariis consulere tenetur. Uxor intra domum maneat, et domestica disponat.* Sed quid si sponsus nobilis sit, adeoque laborem fugiat? Audiatur Josephus, qui et ipse nobilis fuit de familia Davidregia, et tamen mechanicum opus, se suosque alere minime dubitavit. Cur hoc? Quia ut ait Ecclesiasticus, cap. X.

Melior est, qui operatur et abundat in omnibus quam qui gloriatur (de nobilitate scilicet) et eget pane. Intellexit hoc Alphonsus rex Aragoniæ sapientissimus, qui decies et quater perlegit s. Biblia. Is enim cum a Marco Siculo, eximie sanctitatis viro reprehenderetur, quod propriis manibus laboraret, subridens: *Numquid Deus et natura, inquit, regibus ne quidquam manibus dederunt?* Refert Panormit. I. II. de rebus ejus gestis. Hoc idem videtur dicere S. Josephus, qui e stirpe licet Davidica oriundus, fabrile opus non refugit, ut familiam suam aleret.

III. Dicit sponso: *Ama sponsam tuam sicut ego amavi meam.* Qua ratione, inquis. Qui cum viderem eam prægnantem, nec causam intelligerem, nolui occulte dimittere illam, malens ipse in exilium abire, quam uxorem dilectam, etiamsi forte peccasset (quod nesciebat) periculo infamiæ, et mortis exponere. Sed vide quid agas Joseph. Nonne tua fuga te ipsum proseribis et velut desertorem sponsæ condemnas? Quidquid de hoc sit, inquit: *Ego pati quidvis malo, quam ut videam patientem sponsam meam.* O sponsum admirabilem! Qui ut gladio imminente sponsam subtraheret, caput suum substituit. Maximum quidem amorem erga conjuges præ se tulerant Tigranes, rex Armeniæ, Tiberius Gracchus, uti alibi diximus: quorum ille vitam suam pro redemptione uxoris Cyro Persarum regi obtulit, auct. Xenophonte: iste vero mori præ uxore maluit, jubens necari masculum anguem, qui ipsum, servari femellam, quæ conjugem portendebat, auct. Val. Maximo. Sed parum isti præstiterunt, cum Josepho comparari. Nam mortem amplecti parati erant pro uxoribus, quas sibi fidelissimas et amantissimas norant: at vero S. Joseph pro illa famam prostituere suam adeoque vitam etiam non dubitavit, quam de fide et amore suo suspectam habuit: adeoque maluit ipse supplicium subire, quam charissimam conjugem subicere supplicio, quam ream esse aut suspicabatur, aut certe metuebat. Ita enim Sanctus Augustinus, ser. XVII. de verb. Dom. « *Attende, inquit, quemadmodum vir justus Joseph, tanto flagitio, quod de uxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit antequam sciret unde illa conceperat, quia gravidam senserat, et se ad illam non accessisse noverat, restabit itaque certa adulterii suspicio. Mariti dolor non vindictam quæsit, voluit prodesse peccatrici, non punire peccantem, etc.* » Et ep. LIV. ad Macedonium: *Joseph cum Virginem nihil aliud quam adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitii fuit. Quinimo seipsum potius in exilium et extremam calamitatem condemnare*